

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Sententia definitiva

N. 45485/11 CA

Diocesis N.

(Rev.dus [X] – Congregatio pro Clericis)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno 1, die XX iunii MMXIII, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mo ac Rev.mo D.no Raimundo Leone Card. Burke, *Praefecto*, B.mo ac Em.mo D.no Petro Béchara Card. Raï, O.M.M., Em.mis ac Rev.mis D.nis Paulo Card. Sardi et Velasio Card. De Paolis, C.S., atque Exc.mo et Rev.mo D.no Antonio Stankiewicz, *Ponente*, intervenientibus Cl.ma Flavia Speranza, utpote Rev.di Recurrentis Patrona ex officio, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis et Exc.mi Archiepiscopi N., atque Rev. mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae, in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

1. – **Facti species.** – Rev.dus [X], natus die 19 iulii 1945 in loco Y, relicto publicae securitatis munere et studiorum curriculo dein expleto in Seminario N., ordinationem presbyteralem die 31 maii 1981 recepit.

Pluribus sacri ministerii annis exactis, praefatum sacerdotem publicae securitati denunciavit d.nus [Z], die 30 augusti 1997, de innumeris abusibus inter annos 1986 et 1989 patrat. Cum vero denuntians paucos post dies voluntariam mortem sibi consciverit, scili-

cet die 12 septembris 1997, auctoritas civilis ob decessum testimonii principalis ad ulteriora non processit.

Et tamen nihilominus reassumpta est praevia investigatio in foro canonico interim dilata ad praestandum auxilium auctoritati civili in accusationis exploratione. Dehinc igitur collegium iudicans Tribunalis Metropolitanus N. ab Exc.mo Archiepiscopo constitutum est, quod, libello accusatorio admissio, processum poenalem ad normam iuris rite confecit et sententiam condemnatoriam pronuntiavit, die 10 augusti 2000, qua reo poenam dimissionis e statu clericali irrogavit ob delicta de quibus in cann. 1395, § 2 et 1387.

Appellante reo adversus sententiam primae curae, causa ad Tribunal Apostolicum Congregationis pro Doctrina Fidei delata est.

Iudicio poenali in gradu appellationis decurrente, quaestio de sustentatione Rev.di [X] mota est anno 2003, quam Congregatio pro Clericis ad Congregationem pro Doctrina Fidei remisit.

Tribunal autem huius Congregationis, supplemento instructionis rite expleto, sententiam absolutoriam protulit die 11 aprilis 2005, qua reum a culpabilitate liberavit quoad imputata sibi graviora delicta, de quibus in cann. 1387 et 1395, § 2, poenamque dimissionis e statu clericali, in primo iudicii gradu irrogatam, revocavit.

Una cum notificatione sententiae, Congregatio pro Doctrina Fidei litteris diei 6 maii 2005 certiore fecit Exc.mum Archiepiscopum N. de praesuppositis ad obtinendam hac in causa restitutionem in integrum ac de eius propria facultate tuendi bonum Archidioeceseos in conferendo pastoralis munere Rev.do [X].

2. – Hic autem presbyter ab Exc.mo Archiepiscopo litteras commendatitias seu v.d. “celebret” die 18 ianuarii 2006 expetivit ut Missam celebrare posset apud domum religiosam Sororum prope W. Idque inopportuno impertire Exc.mus Praesul die 30 martii 2006 rescripsit.

Institerunt tamen sive Rev.dus [X] die 8 maii 2006, sive eius Cl.mus Patronus Adv. [B] die 14 septembris 2006, ut Exc.mus Archiepiscopus denegationis rationes significaret atque presbytero suo remunerationem intra decem dies solveret.

Sed Exc.mus Archiepiscopus certiore fecit Cl.mum Patronum, die 28 septembris 2006, de inopportunitate concedendi facultates Rev.do [X] in sua Archidioecesi, attentis locorum circum-

stantiis in Y emergentibus; promisit quoque summam pecuniae pro sustentatione sacerdotis quam primum soluturum.

Cl.mo Patrono iterum instanti, die 6 octobris 2006, ad obtinendas litteras commendatitias pro suo cliente, Exc.mus Praesul articulatum dedit responsum, die 13 octobris 2006, quo sequentes enodavit quaestiones, videlicet: de potestate discretionali Episcopi in concessione facultatum; de significatione formulae “not guilty” in sententia absolutoria adhibitae; de praxi Episcoporum Y in concessione licentiae exercendi ministerium sacerdotale extra dioecesim propriae incardinationis; de indole non poenali denegationis facultatum ministerialium; de subordinata concessione facultatum ab acceptatione examinis peritalis, therapiae et assistentiae psychologicae apud institutum ab Ordinario adprobatum; deque possibilitate rem deferendi ad Sanctam Sedem. Quam ob rem Cl.mus Patronus, die 8 ianuarii 2007, Congregationi pro Clericis detulit de vanis conatibus Rev. di [X] obtinendi a suo Ordinario «a *Celebret to show he is a priest in good standing and allow him to exercise his priestly faculties*».

Exc.mus Archiepiscopus autem, die 26 ianuarii 2007, a Rev. do [X] exquisivit nomen domus religiosae penes quam Missam celebrare prosequeretur ut de eius condicione canonica Superiorissam edocere posset. Pariter exhortatus est eum ut aliquam formam “of supervision-support” acceptaret.

Recepto responso a Rev.do [X] diei 6 februarii 2007 de Missarum sine populo dumtaxat celebratione, Exc.mus Archiepiscopus litteris diei 19 februarii 2007 admonuit eum ut quamlibet formam “of public ministry” vitaret notitiasque Superioribus de sua condicione canonica patefaceret et auxilio alicuius sacerdotis-consiliarii frueretur iuxta dispositiones Episcoporum Y quoad presbyteros investigationibus canonicis obnoxios.

Cum vero Exc.mus Archiepiscopus, die 14 decembris 2007, Rev.do [X] notificavit consiliarii designationem, seu Rev.dum [C], tunc ille rationes huius decisionis exquisivit, die 4 februarii 2008, attento effectu absolutorio sententiae Tribunalis Apostolici Congregationis pro Doctrina Fidei.

3. – Statim ut Exc.mus Archiepiscopus notitias a fidelibus recepit de Missa exequali concelebrata a Rev.do [X] intra fines dio-

eceseos F, praecepto singulari (can. 49), die 6 februarii 2008 elicitio, imposuit ei ut abstinere «from any form of public ministry in Y», et quidem sub poena suspensionis, ad cuius irrogationem hoc praeceptum «serve as an official warning to this effect (see canon 1347, 1)», ac se subiceret assistentiae ex parte Rev.di [C] sub comminatione auferendae sustentationis.

Respondens autem ad epistolam Rev.di [X] diei 4 februarii 2008, Exc.mus Archiepiscopus, die 13 februarii 2008, propositas ab eo quaestiones remisit “to the contents” epistolae diei 6 februarii 2008.

Deinde Exc.mus Praesul, perpensis obiectionibus a Rev.do [X] porrectis per litteras diei 20 februarii 2008 de consilio quorundam canonistarum contra praeceptum singulare, aliisque rationibus prae oculis habitis «in relation to the possible sexual abuse of a minor» in ambitu «of the situation in Y», decretum edidit die 29 februarii 2008, quo confirmavit tum «the removal of all faculties for Rev. [X] to conduct public ministry in the Church», tum impositum ei «a pastoral monitor» in persona Rev.di [C], «to provide ongoing pastoral support to a priest about whom concerns exist».

Adversus praefatum decretum Rev.dus [X], die 11 aprilis 2008, petitionem revocationis proposuit, sed Exc.mus Praesul, die 15 aprilis 2008, «for the good of all concerned, including your own» decisionem suam retinuit.

Tunc Rev.dus [X], die 25 aprilis 2008 recursum hierarchicum interposuit ad Congregationem pro Doctrina Fidei, et, invocato praescripto can. 221, §§ 1-3, expetivit ut impugnatum decretum infirmaretur et Archiepiscopus induceretur ad observandam dispositionem absolutoriam sententiae Tribunalis Apostolici praefatae Congregationis. Ipse quoque ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae provocavit (cf. prot. n. 41143/08 VAR) et Congregationem pro Clericis adiit, die 16 octobris 2008, propter violationem can. 281, § 1, quatenus Archiepiscopus «has failed to provide me with any income from the diocese».

4. – Receptis autem litteris Exc.mi Archiepiscopi diei 14 novembris 2008, quibus urgebatur observare «the steps outlined in the February 29th decree», Rev.dus [X] iterum ad Congregationem pro

Clericis se convertit, die 19 ianuarii 2009, conquerens de sua conditione oeconomica “extremely serious”, de qua etiam Congregationem pro Doctrina Fidei certiore fecit. Immo, hac de re, die 31 martii 2009, etiam ad H.S.T. epistolam transmisit (cf. prot. n. 41143/08 VAR).

Memnisse iuvat ad solutionem huius casus faciliorem reddendam, Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae decrevisse, die 14 maii 2009, in huiusmodi causis competentem esse Congregationem pro Clericis (cf. prot. n. 39779 CA).

Sed Exc.mus Archiepiscopus, recepto consilio ex parte “the Diocesan Committee”, eoque delato ipsi Legato Pontificio in Y, de statu canonico Rev.di [X] certiore fecit Vicarium Generalem Diocesis W, die 16 iunii 2009, atque Exc.mum Archiepiscopum G, die 6 octobris 2009.

Nec tamen Rev.dus [X] quievit: mense enim novembri a. 2009 denuo provocationem direxit ad Congregationem pro Doctrina Fidei, atque pro notitia ad H.S.T. et ad Congregationem pro Clericis, quam penes etiam recursum suum renovavit. Haec autem Congregatio, die 4 ianuarii 2010, litteris ad Recurrentem missis, necnon ad Exc.mum Archiepiscopum et ad Congregationem pro Doctrina Fidei, propriam competentiam definiendi hanc causam declaravit.

Interea Exc.mus Archiepiscopus, die 5 februarii 2010 Em.mo Secretario Status transmisit litteras ad Congregationem pro Clericis delatas circa condiciones ab eo statutas pro solvenda remuneratione Rev.do [X] necnon pro concedendis facultatibus ad exercendum ministerium sacerdotale. Immo, certiore fecit Em.mum Secretarium de impossibilitate tradendi praefato sacerdoti documentum v.d. “celebret” propter «the publicity which attaches to all of these cases in the media, and the damage which is being done to the people of God».

5. – Sed Congregatio pro Clericis, perpensis elementis probatoriis ad suum forum delatis, die 1 septembris 2010 recursum hierarchicum reiecit et decretum Recurrenti per Rev.dum [H], notificavit.

Insuper haec Congregatio, die 2 aprilis 2011, respuit etiam novae audientiae supplicationem a Rev.do [X] die 1 octobris 2010 propositam et rationibus corroboratam ab eius Patrono ad rem com-

positis, cum indicatione tamen facultatis «to further appeal to the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura».

Adversus hanc decisionem Rev.dus [X] tempore utili recursum interposuit ad N.S.F., die 6 maii 2011, retractando argumenta iam prius Congregationi porrecta.

Quin immo Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, prae-habitis Cl.marum Patronarum utriusque partis memorialibus et voto Rev.mi Promotoris Iustitiae, re sedulo examini subiecta in Congressu coram Em.mo Card. Praefecto die 10 februarii 2012 habito, recursum Rev.di [X] ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patri-bus Iudicibus admisit.

Deinde sueto more dubium concordatum est, die 9 martii 2012, hac sub formula: **An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum Congregationis pro Clericis diei 1 septembris 2010.**

Demum, receptis memorialibus utriusque partis Patronarum atque voto pro rei veritate Promotoris Iustitiae, iisque mature perpensis, nunc Nobis dubio proposito respondendum est.

6. – **In iure et in facto.** – Cum res ipsa, de qua hoc in recurso agitur, admodum salebrosa appareat, iudicium ferendum est dumtaxat intra saepta competentiae H.S.T. (cf. art. 34, § 1 *Legis propriae*), videlicet de asserta illegitimitate decreti a Congregatione pro Clericis die 1 septembris 2010 editi, quo recursus hierarchicus adversus decretum Exc.mi Archiepiscopi N. diei 29 februarii 2008 sub utroque adpectu, id est “*de procedendo* and *de decernendo*”, reiectus est, quodque adversus eadem Congregatio etiam novae audientiae petitionem litteris diei 2 aprilis 2011 respuit.

Etenim, Congregatio pro Clericis in reiciendo recurso hierarchico motiva impugnationi decreti Exc.mi Archiepiscopi partim rata habuit, partim vero complevit vel amplius explicavit.

Sed Cl.ma Patrona Recurrentis motiva ita coacervata fortiter reprobatur propter eorum indolem iustificatorem, ipsius iudicio, violationis legis in procedendo et in decernendo ex parte impugnationi decreti Exc.mi Archiepiscopi, sive quod spectat ad praescriptum can. 1348 applicatum statui canonico Rev.di [X] post sententiam absolutoriam, sive quod attinet ad praesumptas inoboedientias praefati

sacerdotis erga provisiones ab Exc.mo Archiepiscopo statutas praeecepto singulari diei 6 februarii 2008, ac dein renovatas impugnato decreto diei 29 februarii 2008.

A) De applicatione praescripti can. 1348

7. – Congregatio pro Clericis suo decreto diei 1 septembris 2010 provisiones restrictivas ab Exc.mo Ordinario N. impertitas Rev.do [X] omnino conformes habuit non solum cum tenore epistulae Congregationis pro Doctrina Fidei diei 6 maii 2005, quam penes sententia absolutoria «does not affect your ability to promote and safeguard the good of your Archdiocese with respect to the future of Rev. [X] ministry», sed etiam cum praescriptionibus, de quibus can. 1348 expresse cavet.

Etenim, iuxta praescriptum can. 1348, «cum reus ab accusatione absolvitur vel nulla poena ei irrogatur, Ordinarius potest opportunis monitis aliisque pastoralis sollicitudinis viis, vel etiam, si res ferat, poenalibus remediis eius utilitati et publico bono consulere», scilicet monitionibus et correptionibus (cf. can. 1339).

Utique hac in sede locus non est disceptationi, utrum citata superius norma sit contradictoria, quatenus de adhibendis poenalibus quoque remediis cavet contra eum qui «ab accusatione absolvitur, et exinde innocens declaratur», attenta ceteroquin explicatione Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo, iuxta quam «norma non est contradictoria, nam reus non semper absolvitur quia innocens» (*Communicationes*, 16 [1984], 44).

Iamvero, praeter casus ad incapacitatem delicti (cf. can. 1322) pertinentes vel ad causas culpabilitatem (imputabilitatem) poenalem excludentes (cf. can. 1323), reus ab accusatione absolvi potest innocensque evadi non solum propter evidentem defectum probationis de existentia facti criminosi vel de consummato a reo delicto, sed etiam propter insufficientem probationem (cf. V. DE PAOLIS – D. CITO, *Le sanzioni nella Chiesa*, Città del Vaticano, 2000, 224) ad efformandam moralem certitudinem de delicto a reo commisso, quia tunc quoque iudex tenetur pronuntiare non constare de delicto patrato et reum absolutum dimittere (cf. cann. 1728, § 1; 1608, § 4).

Ea de causa reo ab accusatione absoluto ob insufficientem de-

licti probationem media pastoralia et remedia poenalia ab Ordinario ad normam can. 1348 applicari possunt, quoties ex actis processus poenalis gravia emergant indicia, quae talem interventum urgent ad consulendum utilitati ipsius rei et bono publico.

Haec enim elementa una cum aliis rerum adiunctis assumi possunt inter motiva, quae interventum Ordinarii erga reum ab accusatione absolutum legitimum reddant.

8. – Quibus praemissis, hac in causa nostra maxime interest, ut iuste ac legitime perpendantur limites absolutoriae sententiae a Tribunali Apostolico Congregationis pro Doctrina Fidei prolatae quoad Rev.dum [X].

Iamvero, ex argumentatione praedictae sententiae absolutoriae deduci potest deliberationem iudicalem de non culpabilitate (*not guilty*) rei arreptam fuisse tum propter non sustentabilem (*unsustainable*) accusationem a denuntiante propositam quoad delictum sollicitationis (can. 1387; art. 3, n. 2 *Norm.* a. 2001; art. 4, § 1, n. 4 *Norm.* a. 2010), tum propter exclusam possibilitatem adipiscendi certitudinem moralem quoad delictum contra sextum Decalogi praeceptum cum minore infra aetatem duodeviginti annorum (can. 1395, § 2; art. 4, § 1 *Norm.* 2001; art. 6, § 1, n. 1 *Norm.* 2010).

Quae cum ita sint, hac in causa non agitur de absolute a culpabilitate modo absoluto facta, quae tunc verificatur, quoties factum accusato attributum non existat, vel non constituat «reatum seu transgressionem legis poenalis», sed de absolute «non absolute et definitive» impertita, quae tunc obvenit, cum ex actis et probatis «non satis constat aut de existentia facti criminis aut de reitate accusati quoad imputationem criminis patrati» (M. LEGA – V. BARTOCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, vol. III, Romae, 1950, 27).

Commutatis verbis, dici potest hac in causa sententiam absolutoriam latam fuisse “super instantia” tantum, et quidem non modo absoluto, sed relativo tantum.

Nam «si iudex edicat actionem esse praescriptam et tunc absolutio ab instantia est absoluta»; si vero edicat «ex deductis non constare aut non satis constare de delicto et tunc absolutio ab instantia est relativa et veluti conditionalis», quia «accusatus inde dimittitur absolutus non ab accusatione seu ab actione [criminali], sed tantum

ab instantia quam huiusmodi sententia definit et terminat, quamvis non perimat accusationem quippe hanc edicit tantum non satis probatam ad condemnandum» (ivi, 339).

9. – In luce peculiaris indolis absolutoriae sententiae alterius instantiae, in causa Rev.di [X] prolatae, apte percipi possunt consilia ab epistula Congregationis pro Doctrina Fidei diei 6 maii 2005 delineata, quae induxerunt Exc.mum Archiepiscopum ad promovendum ac tuendum bonum Archidioeceseos in prospectu futuri ministerii Rev.di X, scilicet «to promote and safeguard the good of your Archidioecese with respect to the future of Rev. [X] ministry».

In his enim consiliis innixus, Exc.mus Praesul suas quoque provisiones Rev.do [X] per decretum diei 29 februarii 2008 definitive imposuit, quas Congregatio pro Clericis decreto diei 1 septembris 2010 conformes habuit cum praescripto can. 1348, «which expressly provides for circumstances arising from the outcome of judicial processes that find either the defendant is not guilty or that, if guilty, no penalty is to be imposed».

10. – Sed Cl.ma Patrona Recurrentis illegitimitatem provisionum Exc.mi Archiepiscopi excepit propter violationem rei iudicatae, in certitudine morali innixae, necnon propter motivorum seu rationum decidendi carentiam.

Ante omnia iuxta assertionem dilaudatae Cl.mae Patronae «decretum diei 29 februarii 2008 quatenus in dubium revocat veritatem accusati innocentiae in sententia Congregationis pro Doctrina Fidei declaratae, violat principia in themate rei iudicatae, quapropter irritandum est, utpote quia quandam culpabilitatem insinuat, quae nullam confirmationem invenit in actis et decisionibus processualibus».

Quam ob rem, iudicio eiusdem Cl.mae Patronae «decretum illegitimum esset ob sacrosanctorum principiorum de re iudicata violationem (res iudicata pro veritate habetur) quae valida sunt etiam in ordine canonico (can. 1641, 4° statuit: res iudicata habetur si lata sit sententia definitiva a qua non datur appellatio ad normam can. 1629, et can. 1642, 1°-2° clarificat: res iudicata firmitate iuris gaudet [...] eadem facit ius inter partes)».

11. – Non tamen dubitari potest, quin praescriptum can. 1348 sinat Ordinario opportunas ferre provisiones, haud exclusis remediis poenalibus, proprie ac peculiariter post sententiam absolutoriam, etiamsi haec in rem iudicatam transierit, nempe ad consulendum utilitati ipsius rei ac potissimum publico bono. Hac enim in re lex canonica nullam facit distinctionem inter absolutionem rei ab accusatione per sententiam, quae in rem iudicatam transierit necne. Idque legitime sustineri potest, quia “ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus”, atque “ubi lex voluit dixit, ubi noluit, tacuit”.

Utrumque ad certitudinem moralem adipiscendam circa delictum a reo patratum (cf. can. 1608, § 1) in ordine ad poenam irrogandam requiritur «ut quodlibet prudens dubium positivum errandi, in iure et in facto, excludatur, etsi mera contrarii possibilitas non tollatur» (art. 247, § 2 Instr. *Dignitas connubii*).

Hoc tamen principium, ut merito animadvertit Rev.mus Promotor Iustitiae, respicit tantum sententiam condemnatoriam in processu poenali ferendam, quia tali in casu «requiritur ut quodlibet prudens dubium positivum errandi, in iure et in facto, excludatur».

E contra, quoties iudex ex actis et probatis certitudinem moralem adipisci non valeat de delicto patrato, poenae canonicae obnoxio, reum absolutum dimittere tenetur (cf. cann. 1608, § 4; 1728), quia “in dubio pro reo iudicandum est”.

Ob hanc igitur rationem in sententia absolutoria non solum perstare potest possibilitas contrarii, sed etiam «quoddam prudens dubium positivum errandi (seu de delicto commisso vel de poena applicanda), in iure et in facto, adesse ac superesse potest». Tale dubium ansam praebere potest provisionibus ab Ordinario sumendis in reum ab accusatione absolutum, de quibus can. 1348 expresse cavet.

Restat igitur, ut Exc.mus Ordinarius N. ad normam can. 1348 etiam post sententiam absolutoriam in rem iudicatam transactam provisiones canonicas quoad Rev.dum [X] legitime capere potuerit. Nec ideo, hoc in casu, sermo fieri potest de asserta a Cl.ma Patrona Recurrentis violatione principii legalitatis seu legis saltem in procedendo.

12. – Insuper Cl.ma Patrona Recurrentis, sulcum petitionis novae audientiae secuta, queritur quod «decretum die 29 februarii 2008 indicationem non continet rationum quae Archiepiscopum N.

induxerunt ad praescribendum ut Rev.dus [X] se abstineret a quavis forma exercitii publici ministerii sacerdotalis in Y et sese subiceret pastorali vigilantiae ex parte Rev.di [C]». Nam generica affirmatio de «situation in Y at the present time» – ipsius iudicio - quae necessarium efficeret nisum «to safeguard the good of Archdiocese, and of the faithful» est argumentum vagum, laconicum et gravitati praescriptionum impositae Rev.do [X] impar, ideo inidoneum ad explicandas rationes quae Archiepiscopum N. duxerunt ad imponendos Rev.do [X] actus de quibus in eodem decreto sub poena sanctionum.

Quod vitium maiore cum vehementia elatum est in petitione novae audientiae a Rev.do Patrono Recurrentis hisce verbis: «If the Archbishop has information that justifies the administration of penal remedies or other measures with regard to Fr. [X], let them be stated in a decree containing the motivation for the action in law and in fact, at least in summary form (can. 51)».

13. – Sed iuxta aestimationem Congregationis pro Clericis motiva impugnati decreti Exc.mi Archiepiscopi referuntur ad probationes collectas tempore processus iudicialis, non exclusa alia quoque informatione «available to the Ordinary which must inform his decision».

Nihilominus tamen, sicut ad rem advertit Rev.mus Promotor Iustitiae, decisio Ordinarii «indigitare debuisse saltem summarie quo vel quibus elementis sententiae vel saltem processus eadem decisio niteretur», quia epistula Congregationis pro Doctrina Fidei substituere non valuit “motiva in applicando can. 1348 necessaria».

Idque de more tenendum est, quamquam «sub specie iuris in huiusmodi provisionibus post sententiam absolutoriam prolatis», etiam «motiva, si et quatenus, per relationem sufficere possunt», ut puta post «sententiam absolutoriam ob imputabilitatem deminutam, culpam scilicet probatam sed non dolum a iure requisitum». Nam in casu huiusmodi «iudices facta seu delicta probata certitudine morali tenent ac declarant, at reum absolutum remittunt ob doli absentiam». Quae tamen facti species, prospectivo modo considerata, indolem absolutoriam sententiae alterius instantiae, hac in causa prolatae, non respicit.

14. – Attamen Cl.ma Patrona Publicae Administrationis censet litteras Congregationis pro Doctrina Fidei non fuisse unicum motivum decisionis Exc.mi Praesulis, quia motivum proximum praecepti habetur in violatione «restrictions that had been placed against him».

Nam Exc.mus Archiepiscopus «vix obtenta sententia a Congregatione pro Doctrina Fidei die 11 aprilis 2005 lata, negavit Rev.do [X] facultates in archidioecesi N.», quia, ut scripsit ad eius Patronum die 28 septembris 2006, «I do not consider it appropriate at this time to restore Father [X] faculties in this diocese [...] given the circumstances in this country».

Qua de causa «Exc.mus Archiepiscopus concessionem facultatum dependere fecit ab observatione nonnullorum ordinum», scilicet «if he carried out certain provisions relating to assessment, possibly eventual therapy and psychological assistance in an institution that I would approve», atque «some form of supervision/support».

«Tamen, Rev.dus [X] non observavit istos ordines. Quare, ob inoboedientiam Rev.di [X] iam die 6 februarii 2008 Exc.mus [Q] impugnatum decretum tulit, quod tantummodo instante ipso Rev.do [X] die 29 februarii 2008 repetivit».

At enim rationes dispositionis internae Exc.mi Praesulis in textu decreti haud expressae, defectum motivorum impugnati actus supplere non valent. Propterea decretum impugnatum vitio hoc ex titulo (cf. can. 51) afficitur ideoque violatio legis in procedendo habetur.

B) De inoboedientiis Rev.di [X]

15. – Ex motivis impugnati decreti Congregationis pro Clericis diei 1 septembris 2010 deduci possunt quattuor facta inoboedientiae ex parte Rev.di [X], ob quae Exc.mus Archiepiscopus per praeceptum imposuit ei superius indicatas «certain obligations and threatening certain penalties for non compliance with the same», videlicet: concelebratio Missae exequialis, recusatio adeundi sacerdotem supervisorem seu consilium (*support person*), evitatio directae communicationis cum suo Ordinario et absentia voluntatis accedendi ad media conciliationis.

Simili modo in actu denegati beneficii novae audientiae eadem Congregatio pro Clericis easdem fere rationes indigitat: «Given that

the request of the Ordinary in the period from the definitive sentence of the Apostolic Tribunal until the issuance of his Precept met with little success, and given the increasingly diminished collaboration he had from Fr. [X], all well documented in the correspondence between the two, it will be clear that this constitutes the “other information” that motivated the Ordinary in issuing the Precept».

16. – Itaque ad mentem impugnati decreti Congregationis pro Clericis «The actual precept was given as a consequence of the recurrent’s public exercise of the sacred ministry in the context of a funeral in contravention of the Ordinary’s dispositions».

Merito tamen animadvertit Rev.mus Promotor Iustitiae factum unius concelebrationis S. Missae exequialis pro defuncto sacerdote «during the Christmas holiday period» a. 2007, et quidem in territorio dioeceseos F, scilicet extra fines iurisdictionis Exc.mi Archiepiscopi N., nullo modo reprehendi posse ad sustinendum impugnatum praeceptum.

In primis enim dicendum est omnes prohibitiones cautelares, si quae Rev.do [X] impositae fuissent ab Ordinario tempore processus poenalis quoad exercitium sacri ministerii, ad normam can. 1722 ipso iure finem habuisse, cessante processu poenali.

Deinde, superius memorata concelebratio in alia dioecesi S. Missae exequialis et publica distributio S. Communionis, die 12 ianuarii 2008 peracta etiam “at a funeral service”, locum habuerunt antequam Exc.mus Archiepiscopus praecepto singulari diei 6 februarii 2008 imponeret Rev.do [X] «to refrain from *any form* of public ministry in H», redintegrato dein subsequenti decreto diei 29 februarii 2008.

Ceterum ipse Archiepiscopus sincera mente fatetur se prius hac in re decretum ad normam can. 51 non protulisse neque valuisse alios Ordinarios [Y] prohibere quominus aliquas facultates praefato sacerdoti concedere possent. Tempore praecedenti, igitur, ad summum agebatur de mera promissione ex parte Rev.di [X] «not to conduct any form of public ministry».

Demum, in aestimatione praefatae concelebrationis S. Missae exequialis, sicut animadvertit Rev.mus Promotor Iustitiae, ratio habenda est quoque praescripti can. 900, § 2 de licita Eucharistiae celebratione a sacerdote lege canonica non impedito, a qua «toto coe-

lo differt concessio aut denegatio litterarum commendatitiarum ab Ordinario proprio, de quibus in can. 903» (cf. sent. def. coram Grocholewski, diei 28 aprilis 2007, n. 10d, in *Ius Ecclesiae*, 19 [2007], 615–616 et in *Ministerium Iustitiae. Jurisprudence of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura*, Montréal, 2011, 425-427).

Quae cum ita sint, concelebratio illa, quam Rev.dus [X] ex-unte anno 2007 participavit intra fines dioeceseos E et F, cuius Exc.mum Ordinarium non constat illum prohibuisse quominus conclebrare posset, legitime assumi non potuit ad tuendum impugnatum praeceptum.

17. – Alterum motivum praecepti, iuxta impugnatum decretum Congregationis pro Clericis, constituit Recurrentis recusatio acceptandi consiliarium ab Exc.mo Archiepiscopo deputatum: «the recurrent's refusal to accede to the Ordinary's request that he accept a "support person"», necnon cooperandi cum illo: «the Ordinary had repeatedly sought the recurrent's cooperation in accepting a priest supervisor ("support person"), but to no avail».

Initio tamen animadvertendum est praeceptum singulare supervisorem seu consiliarium adeundi, Rev.do [X] impositum fuisse ab Exc.mo Archiepiscopo vi can. 49 vixdum die 6 februarii 2008, renovatum dein per decretum diei 29 februarii 2008. Quam ob rem merito admonet Rev.mus Promotor Iustitiae quod negligentia eundem consiliarium adeundi constituere nequit «causam praecepti de quo agitur».

Iamvero, ante hoc tempus sermo erat dumtaxat de possibilitate fruendi auxilio consiliarii, prout deduci potest ex litteris Exc.mi Archiepiscopi diei 14 decembris 2007 ad Rev.dum [X] datis: «In previous conversation with you I mentioned the possibility of attending a support person appointed by the Archdiocese. I write now to request that you liaise with such a support person [...]. Your support person will be Reverend [C]».

Quare ante praecepti intimationem «ne vix quidem potuit Rev.dus [X] die 4 februarii 2008 Exc.mo Archiepiscopo scribere se Rev.dum [C] acceptare sed noscere velle de quonam auxilio ageretur».

18. – Infitiandum non est quin legitimitas praecepti consiliarium adeundi postulaverit necessitatem informandi sacerdotem, aux-

ilio indigentem, de huius auxilii natura. Etenim, Congregatio pro Clericis agnoscit, tali in casu, ius recusandi examen psychologicum, dum Exc.mus Archiepiscopus agit de auxilio in foro externo praestando indolis pastoralis: «a pastoral support», «a pastoral monitor», «the support person».

Itemque ad consiliarii deputationem quod attinet, incongrua videtur invocatio praescripti can. 384, prout decretum Congregationis pro Clericis consulit, quia «ad obligationes suo statu [sic!] proprias» rite adimplendas Ordinarius cuilibet sacerdoti consiliarium proponere vel imponere potest.

Pariter nec multum iuvat insistere in contextum nationalem huius provisionis, quem impugnatum decretum Exc.mi Archiepiscopi indicat tamquam suum fundamentum. Agitur nempe de documento Conferentiae Episcoporum Y sub titulo [...], quod, iuxta assertionem Exc.mi Archiepiscopi, «is particular law in the Archdiocese of N.», quodque «explicitly provides, in section 12,3, for the appointment of a suitable support person to provide ongoing pastoral support to a priest about whom concerns exist».

Enimvero, impugnatum decretum Congregationis pro Clericis nullam fecit mentionem praefati documenti ad confirmandam legitimitatem provisionis Exc.mi Archiepiscopi in deputatione consiliarii.

Alia ex parte meminisse iuvat Rev.dum [X] nullum praeiudicium ostendisse personae consiliarii. Quin immo, Religioso ad id munus deputato ipsemet Recurrens haud semel occurrisset.

Quapropter deest legitima et gravis necessitudo inter praeceptum quodlibet ministerium publice exercendum in Y Rev.do [X] prohibens, et quidem sub sanctione poenali, et praeceptum consiliarium nuper datum adeundi, pariter sub comminatione suspensionis persolvendae pensionis ex parte Archidioeceseos.

19. – Demum, iuxta tenorem impugnati decreti Congregationis pro Clericis reliqua motiva praecepti respiciunt voluntatem Recurrentis sese subtrahendi a directo contactu cum proprio Ordinario, «believing it to be "futile"», et non accedendi ad postulationem eiusdem Ordinarii de pacifica contentionis solutione, scilicet «in accordance with the provisions of can. 1733».

Ex actis tamen satis constat Rev.dum [X] neque se in occul-

tum abdidisse, neve conspectum Ordinarii proprii effugisse. Is enim numquam de loco suae commorationis Exc.mum Archiepiscopum celavit cum prope Urbem degit vel postea in P. Obliviscendum tamen non est Exc.mum Praesulem numquam reditum sacerdotis sui in propriam Archidioecesim ursisse. Ceterum, ex mutuo commercio epistolari emergunt notitiae de occursibus Rev.di [X] cum Exc.mo Archiepiscopo.

Deinde, ut notum est, praescriptum can. 1733, § 1 valde exoptat ut vitetur contentio inter eum qui se gravatum decreto putet et auctorem decreti atque inter eos de aequa solutione quaerenda communi consilio curetur. Quam ob rem etiam Patres enixe rogant utramque partem, ut contentionem inter eas exortam pacifice componere conentur.

Nihilominus tamen dicendum est ex inobservantia exhortationis legalis, de qua in citato can. 1733, § 1, non profluisse legitimum motivum praecepti ex parte Exc.mi Archiepiscopi, denegantis Rev.do [X] publicum exercitium cuiuslibet ministerii in Y, et quidem sub sanctione poenali.

Ex hucusque relatis, igitur, clare apparet decretum impugnatum nullam parem ac legitimam rationem adduxisse ad grave praeceptum Rev.do Recurrenti imponendum. Patet ideo decretum impugnatum violasse legem in decernendo.

C) De comminata suspensione solvendae pensionis

20. – Attento quod Episcopus dioecesanus ad mentem can. 384 curare tenetur ut sacerdotum suorum «honestae sustentationi atque assistentiae sociali, ad normam iuris, prospiciatur», ex quo etiam «in poenis clerico irrogandis semper cavendum est, ne iis quae ad honestam sustentationem sunt necessaria ipse careat» (can. 1350, § 1), Cl.ma Patrona Recurrentis provisionem Exc.mi Archiepiscopi de comminata suspensione remunerationis pro Rev.do [X] ob deficientem cooperationem cum consiliario penitus inhumanam habet atque contrariam citatis superius praescriptis canonum.

Sed Cl.ma Patrona Publicae Administrationis contrarium tenet. Ipsa enim censet praefatum sacerdotem nullam mereri remunerationem, quia «nulli ministerio ecclesiastico se dedicat (cf. can. 281, § 1)». Quin etiam, «neque honestam sustentationem meretur et

assistentiam sociale, quippe cum consulto extra Archidioecesim N. commoraverit et adhuc commoret et ordines ab Exc.mo Ordinario [Q] sibi datos, sub praetextu sententiae negativae a Congregatione pro Doctrina Fidei die 11 aprilis 2005 latae, non observaverit».

Similiter decretum impugnatum Congregationis pro Clericis «the current deprivation» habet «the result of a legitimately imposed penalty, in accord with can. 1319».

Merito tamen Rev.mus Promotor Iustitiae distinctionem facit inter remunerationem, de qua in can. 281, § 1, quae competit clericis qui ministerio ecclesiastico se dedicant et subiacere potest diminutionibus, et adsistentiam, de qua in can. 281, § 2, quaeque competit clericis qui infirmitate, invaliditate et senectute laborant, necnon ex iurisprudencia H.S.T., qui ob rationes psychicas haud idonei ad officium seu munus ecclesiasticum habentur (coram Pompedda, 8 maii 2000, prot. n. 29240/98 CA, n. 12). Haec adsistentia assimilatur sustentationi, de qua in can. 1350, § 1, quae clericis omnibus competit et obnoxia non est privationibus, ne quidem poenalibus, excepto casu dimissionis e statu clericali. At patitur necessitatem computationis omnium proventuum clerico aliunde obvenientium.

Quibus prae oculis habitis, pro certo habendum est decretum impugnatum in comminatione privationis adsistentiae, de qua in can. 281, § 2 et 384, vel sustentationis, de qua in can. 1350, § 1, ab Exc.mo Archiepiscopo statuta, legem in decernendo violasse.

21. – **Conclusio.** – Quibus omnibus in iure et in facto mature perpensis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

AFFIRMATIVE, seu constare de violatione legis in procedendo et in decernendo relate ad decretum Congregationis pro Clericis diei 1 septembris 2010.

Secundum art. 90 Legis propriae H.S.T., Exc.mus Archiepiscopus honestam sustentationem sacerdoti provideat.

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Honorarium Cl.mae Rev.di Recurrentis Patronae ex officio

ex arca H.S.T. solvatur. Pars resistens suae Cl.mae Patronae congruum solvat honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die XX iunii MMXIII.

Raimundus Leo Card. Burke, *Praefectus*
Petrus Béchara Card. Raï, O.M.M.
Paulus Card. Sardi
Velasius Card. De Paolis, C.S.
+ Antonius Stankiewicz, *Ponens*

Et notificetur.

Die 14 octobris 2013

+ Franciscus Daneels, o.praem., *Secretarius*
Iosephus Ferdinandus Mejía Yáñez, m.g., *Moderator Cancellariae*
